



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. II. Non ex solo peccato originali, sed ex varijs alijs cauſis, morbos,
adeoque pestem proximè scaturire.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

Psal. 89.

per mortem retrahitur ad occultum. carnis nos viriditas ostendit, sed ariditas pulueris ab aspectibus retrahit. quasi flos apparuimus qui non eramus. quasi flos arefcimus qui temporaliter apparebamus. *Manè, ait Psalter, sicut herba transeat, manè floreat & transeat: vesperè decidat, induret & arefcatur.* rectè Poëta:

Carpe novos flores dum flos nouus & noua pubes;

Et memor esto auum sic properare tuum.

Tamquam enim podij folium es, ô homo, quod manè candidum, meridie purpureum, vesperè cæruleum aspicitur.

Herm:
Hugo
pior. de-
bid. c. 13:
l. 1.

Nempe ita qui vitam modò ducere cœperit infans,

Dicetur moriens occubuisse senex.

Sic aliquis numerat celeres sibi flosculus hor. is,

Natali tumultant quem sua fata die.

Floscule manè puer, mediâ vir floscule, luce,

Floscule sub noctem, sole cadente, senex.

Sic orerisque, immò morerisque, ô floscule Phæbo

Vno fisque puer, virque, senexque die.

Audi igitur & si sapis sæpiùs mecum rumina quisquis post hanc temporalem vitam, vitam speras æternam.

O homo, ô homo, bulla, bulla, bulla es!

C A P. II.

Non ex solo peccato originali sed ex varijs alijs causis morbos adeoque pestem proximè scaturire.

QVæ iam proximo capite de peccato originali ceu causa originariâ morborum dixi, eo sensu intelligi velim non quasi id causa sit propria & omnino proximè adæquata, sed tantummodo generalis & vt antè

te dixi, causa sine qua non, siue occasionalis. Variæ enim variorum morborum & pestis à variis causæ adsignantur. Verùm quia de eorum origine non ex physicis aut medicis hoc loco differere, sed ex sacris litteris mihi propositum est, ideo naturales causas consultò omitto Galeni & Hippocratis discipulis eam prouinciam cuius ignarus sum, lubenter cedens.

Theodorus Heracleotes quatuor ob causas potissimum ait homines morbis solere à Deo affligi: aut propter sua inquit peccata, aut propter peccata parentum, aut propter probationem, id est, vt eorum virtus à Deo coram hominibus probetur, aut vt in illis gloria Dei magis eluceat (quamuis hæ duæ pænè in vnam concurrant) ideoque rectius alia ab alijs substituatur, nempe in peccati cautelam, & veluti medicinam à peccatis præseruantem. De singulis breuiter aliquid dicendum & dicta probanda sunt.

Psalmo 31. ita scriptum legimus: *Multa flagella peccatoris*, quæ scilicet immittuntur ei à Deo in peccatis perseveranti: aliqua quidem in hac vita vt correptus emendetur & flagellatus resipiscat à malitia sua: alia verò post mortem, sicut damnatio æterna animæ & corporis condemnatione. Quidquid enim patimur peccata nostra meruerunt secundum illud eiusdem: *Propter iniustitias enim suas* Psal. 16. *humiliati sunt.* & iuxta illam præclaram Ecclesiæ in oratione sua sententiam: *Nulla nobis nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas.* Clariùs id tandem confitetur idem Propheta regius: *Quoniam sagittæ tuæ*, ad varias corporis pœnas & dolores, *infixæ sunt mihi*, vt cum alio mihi dicere Psal. 57. liceat, *Sagittæ domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum.* & afflictiones diuersas ex proposito mihi sine cessatione inferentem, *confirmasti super me manum tuam.* Iob 6.

B

Dico

Dico ex proposito. Neque enim (Basilij verba sunt) semper morbi omnes à natura aut vitiosa victus ratione aliisve quibusdam sitis in corpore nostro causis ortum ducunt, quandoquidem morbi soepenumero veluti quædam peccatorum flagella sint, quibus nihil aliud agitur nisi vt vitam nostram in melius commutemus. Ac in primis quantum ad peccata propria, nihil frequentius per omnes sacrę Scripturę paginas Spiritus sanctus qui peritissimus medicus est, nobis inculcat. ita enim per os Mosis loquitur ad filios Israël & ad omnes eorum posteros : *Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui vt custodias & facias omnia mandata eius, venient super te omnes maledictiones istę & apprehendent te. Adiungat* (propheticę loquitur futura prædicendo) *tibi Dominus pestilentiam donec consumat te de terra ad quam ingrederis possidendam. percutiat te dominus egestate, feбри & frigore, ardore & astu & aëre corrupto ac rubigine & persequatur donec pereas. Percutiat te Dominus ulcere Ægypti* (puta hoemorrhoidibus, mariscis & similibus ani infirmitatibus) *& partem corporis per quam stercora egeruntur scabie quoque & prurigine, ita vt curari nequeas. Venient super te omnes maledictiones istę quia non audisti vocem Domini Dei tui. Quid clarius ? quid terribilius ? terribilis sane Dei comminatio ob peccata rebellis populi ; digna profectò quæ peccatoribus omnibus sapius è suggestu inculcetur.*

Quinta plaga Ægypto per eundem Mosen tempore indurati Pharaonis illata, nonnè ex peccatis originem traxit ? *Ecce manus mea* (scilicet non ex naturalibus causis, sed à diuina iustitia mea, scelera vestra & regis vestri vlciscente hæc plaga vobis eueniet) *erit super agros tuos, & quasi dicat quæ sunt in agris tuis, id est, super equos & asinos & camelos & boues & oues pestis valdè grauis. neque ibi sisset se furor meus. subditur. Nunc enim extendens manum*

per-

SPIRIT. PHARMACORUM: ¶

percutiam te & populum tuum peste, peribisque de terrâ. Idcirco autem posui te ut ostendam in te fortitudinem meam & narretur nomen meum in omni terra. quasi dicat inquit Chrysoft. in cap. 9. ad Rom. Ego Deus te ô Pharao regem constitui, sustinui peccata tua, conseruavi permisque ut in populum meum tyrannus insurgeres, ut ego vicissim in te quasi hostem ob scelera tua tot plagis potentissimus insurgerem tandemque te mergerem in mari rubro, ut sic omnes meam iustitiam & potentiam agnoscant, timeant, colant & à peccatis abstineant. En certissimas notas irati numinis, & vindicantis dexterę non fallacia argumenta. quod vel inde maximè confirmatur quod cum Hebręi & Ægyptij simul habitarent, & itidem eorum animalia simul essent in campis, pestis tamen Ægyptiorum animalia sustulit, Hebręorum nihil læsit: sicuti & ipsi Hebręi in terra Iessen habitantes à plaga muscarum antea fuerant immunes & postea à densissimis tenebris. Vnde eruditè Theodoretus adnotauit Mosen supplicia quę illaturus esset, prædixisse ne existimarent casu fortuito ea contigisse, sed intelligerent esse plagas sibi ob peccata sua ab irato & vindice Deo illatas.

Anno Domini 558. urbem Constantinopolitanam morbus pestilens inuasit & infinitam sustulit multitudinem. interibant repentina morte quamplurimi tanquam apoplexię graui morbo correpti. qui plurimum resistebant, ad quintum vix diem vita defungebantur. Ad tanta auertenda mala Iustinianus Imperator haud dubius ob peccata diuinitus eiusmodi flagella (nam terrę Novel. 77 motus iam præcesserat) immitti, grauisimam ad populum edidit sanctionem, in eos potissimum qui contra naturam foedissimâ & ob foeditatem coram castis auribus non nominandâ luxuriâ se aliosque coinquinabant, atque in eos pariter qui Deum blasphemando detestabiliter iurabant

rabant & iurando blasphemabant. Si enim inquit, contra homines factæ blasphemiae impunitæ non relinquuntur, multò magis qui ipsum Deum blasphemant digni sunt supplicia sustinere: propter talia enim delicta & huiusmodi impios actus ciuitates cum habitatoribus earum pereunt, & fames & terræ motus & pestilentiae fiunt. præcepit deinde vrbis præfecto in huiusmodi diligenter aduertere, deprehensosque extremis subdere supplicijs, vt non ex contemptu talium inueniatur & ciuitas & respub. per hos impios actus lædi. Verùm nec tantæ maculæ tantis sunt abstersæ flagellis, quæ olim non nisi igne emissò coelitus dilui meruerunt. quæ enim de noua Hunnorum incurfione aliisque cladibus postea contigere, vide apud Agathiam l. 5. & Baron. hoc ipso & sequenti. Imitatus est prudens ac religiosum Iustiniani Imp. hoc factum, superioribus annis, ærâ scilicet Christiana 1575. Murates Turcarum Imperator, qui cum maxima classe totam Italiam terruisset, tantam pestem tantamque famem in eius castra ac totum Imperium Deus immisit vt nihil minùs quam de bello liceret ei cogitare. Agnoscens itaque diuinam iram. morum emendatione illam placandam censuit, vetuitque ne quis in imperio abominanda Turcisque familiari venere vteretur, ne quis Deum blasphemaret, ne quis plures vxores simul haberet. ipse aperto septo imperatorio, 500. mulieres formosas, prostitutasque puellas dimisit: ac priuato mercatoris habitu obambulans, cum ad forum venisset, & prostare pauca videret, plurima verò in officinis, tabernis & penuarijs recondita sciret, monopoliarum fraudem animaduertit. multos itaque apprehendi & suspendio necari iussit. quo facto confestim omnium rerum potissimum annonæ, ingens copia venum exposita est. ita Michaël ab Isselt anno 1575. Dignum plane & laudabile in gentili principe factum.

factum. Sed ecce tibi aliud in rei confirmationem argumentum. Depascepatur, teste Greg. Turonensi scriptore Gallo, Gallias vniuersas ingens pestilentia anno 583. ^{l. 5. c. 383} quatacti duo filij regis Chilperici & Fredegundis extincti sunt. ^{hila} In his diebus inquit citatus author, Chilpericus rex grauitur egrotauit; quo conualescente filius eius iunior necdum ex aqua & Spiritu sancto regeneratus aegrotare coepit. quem in extremis videntes baptismo abluerunt, quo parumper melius agente, frater eius senior Clodobertus ab hoc morbo corripitur, ipsumque in periculo mortis mater Fredegundis cernens, mox criminu ante commissorum facta poenitens ait ad Regem: Diu nos male agentes diuina pietas sustentat nam saepe nos febribus & alijs malis corripuit & emendatio non successit. ecce iam perdimus filios. ecce iam nos lacrymae pauperum, lamenta viduarum, suspiria orphanorum interimunt, nec spes remanet cui aliquid congregemus. thesaurizamus nescientes cui congregemus ea. ecce thesauri remanent possessore vacui, rapinis ac maledictionibus pleni. numquid non exundabant promptuaria vino? numquid non horrea abundabant frumento? numquid non erant thesauri referti auro, argento, lapidibus pretiosis, monilibus vel reliquis imperialibus ornamentis? Ecce quod pulchrius habebamus, perdimus. Nunc si placet, venite, incendamus omnes descriptiones iniquas. sufficiat fisco nostro quod suffecit patri regique Clotario. Hec effata regina pugnis verberans pectus iussit libros exhiberi qui de ciuitatibus suis per Marcum venerant, proiectisque in ignem iterum ad regem conuersa, Quid tu inquit moraris? fac quod vides a me fieri, ut etsi dulces natos perdimus, vel poenam perpetuam euadamus. tunc rex compunctus corde tradidit libros omnes descriptionum igni, conflagratisque illis misit qui

14
 futuras prohiberent descriptiones. Ecce oppressio pau-
 perum & viduarum, iniusta à subditis tributorum exa-
 ctio, super regem & domum & regnum eius pestem
 prouocauit. Vis eam auertere? *Dissolue colligationes im-*
pietatis, solue fasciculos deprimentes, dimitte eos qui contracti
sunt liberos, & omne onus dirumppe. adeo verum est illud Psal-
 mistæ: *Multiplicate sunt infirmitates eorum, postea accelera-*
uerunt.

IIa. 58.

Quid quæso causæ fuit quod atrox illa pestilentia in-
 guinaria anno 590. Romam vniuersam eiusque sacrum
 caput Pelagium Papam cum tot millibus depopulata fue-
 rit, adè vt vnus horæ spatio dum voces supplicationis
 pia plebs ad Deum funderet, octoginta homines ad ter-
 ram corruerint & spiritum exhalarint, vt ex Diacono suo
 oculato teste qui intererat narrat Greg. Turon. Peccata
 causæ fuerunt quæ hoc flagello vindex Dei iustitia casti-
 gabat, quod ignitæ sagittæ cælitus demissæ per urbem,
 haud obscure testatæ fuerunt. Iniquitates iniquitates eo-
 rum has & similes plagas illis pepererunt & nobis pariunt
 quotidie. *Ideò inter vos multi infirmi & imbecilles & dormiunt*
multi. O Corinthij vos miramini quare quotidie tam
 multi è vobis subitis & ignotis morbis corripiantur, qua-
 re tam multi in dies moriantur, vultis scire causam? erra-
 tis profectò si casu id fieri aut ex infecto naturaliter aère
 vel corpore credatis; erratis inquam, ecce in promptu
 causa est, nempe quia indignè sumitis corpus & sangui-
 nem Domini, quia multi accessuri ad verificam illam
 mensam, non probant seipsos, non discernunt corpus
 Domini à communibus cibis, accipiunt illud quasi mate-
 riale panem aut communem cibum sumerent, acce-
 dunt inquam instar canis ad offam. ideò inter vos, in ci-
 uitate vestra multi sunt infirmi & imbecilles, multi etiam
 moriuntur; morbi enim isti (inter quos nostadius Inem

I. Corint.
 XI.

&

& pestem grassantem tunc Corinthi ponit) nihil aliud sunt quam flagella Dei castigantis peccatum vestrum. Serm. 76 de Euch.
 Quæ sollicita mater nostra Ecclesia præcauere studens, post tempus communionis Paschalis in omnibus diuini officij horis, hunc versum decantari instituit:

Quæsumus auctor omnium

In hoc Paschali gaudio

Ab omni mortis impetu

Tuum defende populum.

Sic hodie, ait Anselmus, multi post Pascha varijs morbis corripuntur quia indignè corpus Domini acceperunt. Quod si nos ipsos diiudicaremus, confitentes & punientes peccata nostra, non vtique à Domino iudicaremur. Dum iudicamur autem, à Domino corripimur vt non cum hoc mundo damnemur, si videlicet correpti resipiscamus. Verè itaque propheta regius & ex eo S. P. Augustinus: *Propter iniquitatem corripuisti hominem & tabesce-re fecisti sicut araneam animam eius.* Ideò Deus increpat per dolorem in lectulo & omnia ossa nostra marcescere facit, quia peccauimus ei & mandatis eius non obediimus. Et quid certius hac in re desiderare potes, quam primæ veritatis verissimum testimonium? curaturus siquidem saluator noster paralyticum in lecto iacentem, radicem morbi insinuans & simul hunc cum illâ remouens, dixit: *Confide filii remittuntur tibi peccata tua.* Math. 9. declarans inquit Theoph. quod paralysis ex peccatis esset, primùm peccata soluit, vt sic sublata causa cessaret effectus. Similiter post restitutam sanitatem languido qui triginta octo annos in infirmitate sua iacurat, Deo ferme integram hominis vitam in supplicij mensuram amplam inpendente, eum ita adhortatur: *Ecce sanus factus es, iam amplius noli peccare ne deterius tibi aliquid contingat.* Ioan. 8. Discimus ex peccatis natos hominum morbos inquit hic Chrysoft. ex peccatis

Greg. I. 8.
epist. 41.

catis enim nata ei erat hæc ægritudo. Quin & illud in-
super hic discimus, quod licet grauem pro primis pecca-
tis luamus pœnam, si deinde iterum in eadem incida-
mus, iterum nobis grauiora patienda esse. idque meritò:
nam qui priori supplicio non est emendatus, ad maiora
tormenta ducetur tamquam insensatus & contemptor.
quippe primum genus dementiæ est nolle quempiam à
malis suis iustè quiescere, & Deum iniustè à sua ultione
velle cessare. Certum igitur & indubitatum ob peccata
nostra in eorum ultionem à Deo nobis morbos & nomi-
natim pestem inmitti. quod & ipse Poëta gentilis Oui-
dius non ignorauit, dum Augustum Cæsarem sibi infen-
sum, & à quo in Poloniam, (vbi etiamnum hodie locus
exilij eius ostenditur) fuerat relegatus non aliâ de causâ
quàm quod *Augustum nata viderat in gremio*, exemplo su-
premi Imperatoris Dei peccata hominum sæpiùs miseri-
corditer dissimulantis & peccantibus parcentis, ita pla-
care conatur:

*Si quoties peccant homines sua fulmina mittat
Iupiter, exiguo tempore inermis erit.*

C A P. III.

*Etiam pestem ob peccata parentum, in filios, & ob supe-
riorum in subditos diuinitus inmitti, ex sacris litteris de-
monstratum.*

NEque tantùm ob peccata nostra propria hæc pu-
nitiones obueniunt, sed & frequenter ob paren-
tum nostrorum & superiorum qui pro talibus à
Deo subditis dati sunt. Mofi siquidem in nomine om-
nium